



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.49. Constantinus solus imperat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.  
A. C. 790.

fuis in pauperes, in Monasteria, in redemptionem captivorum erogatis, etiam pretiosissimas vestes auro textas sibi detractas ad ornandas Ecclesias contulit. Hæc veluti Orphanorum & parvulorum projectorum Mater miseros colligebat, educabat, erudiebat. Senes in Hospitiis collocabat, morientium curam gerebat. Sæpius ab Irene & Constantino invitata, ut Imperii particeps esse vellet, constanter renuit, & accepto velamine monastico e manibus Tarasii Patriarchæ Monasterium Eumeniæ ingressa ibidem supremum diem clausit. Ecclesia Græca ejus memoriam duodecimo Aprilis honorat.

## §. XLIX.

*Constantinus solus imperat.*

Illo anno quo Constantinus uxorem duxit, scilicet Regni sui decimo, Jesu Christi 789. ipsius & Irenis Matris jurgia in publicum proruperunt. Nam cum Divinatores nequissimi Imperatrici suggestissent, sibi esse exploratissimum, quod Cœlum Matri non Filio Imperium Romanum destinasset, fœmina, & domandæ ambitioni impar, facile adulationi cessit. Vicissim Constantinus viginti annorum juvenis impatientissime ferebat, se neglecto solum Stauratium Patricium omnia posse. Ergo Matrem custodiæ dare & in Siciliam relegare meditatur;

Ll 3 at

Sæcul. VIII. at cum Stauratio factionis Auctores ne-  
 A. C. 790. scio a quo detecti fuissent, Imperatrix  
 quosdam Procerum conjurationis con-  
 fesos virgis cædi, detonderi, & in exilium  
 pelli jubent. Ipsum filium verberibus  
 castigatum, & acerrime objurgatum mul-  
 torum dierum spatio cogit in publicum  
 non prodire.

Inter hæc Arabum classis e Cypro  
 solvens in Romanos in Sinu Attaliæ in-  
 vecta fuerat. Theophilus Dux Cibyren-  
 sis in Cilicia, dum incaute dimicat, ca-  
 pitur, & ad Aaronem Califam perducitur,  
 qui virum ingentibus promissis tenta-  
 tat, permoturus ut a fide deficeret. Ipse  
 vero constantissime Jesum Christum con-  
 fessus capite truncatur, militari gloriæ

*Mart. Rom.* Martyrii lauream conjungens. Theo-  
 22. *Jul.* philii memoriam Ecclesia vigesimo secun-  
 do Julii celebrat.

*Theoph.*  
 p. 393.

Ireni Imperatrici juramentum fide-  
 litatis sibi soli servandæ ab omnibus co-  
 piis exigenti, omnes etiam præstiterant,  
 illis tantum exceptis, quæ ex Armenia  
 erant. Hæ enim objiciebant jusjuran-  
 dum, quo se ante decennium obligave-  
 rant, Constantino simul & Ireni paritu-  
 ros. Cumque Irene vim pararet, Con-  
 stantinum solum Imperatorem procla-  
 mant. Exemplum sequentes aliarum  
 quoque Legionum † milites in diversis  
 locis uno consilio Constantinum solum  
 Augu-

† *Themes.*

Augustum anno 790. mense Octobri In-  
 dictione decima quarta pronunciant. Sæcul. VIII.  
A. C. 790.

Verum mense Januario anno septin-  
 gentesimo nonagesimo secundo Indictio-  
 ne decima quinta Matris blanditiis & O-  
 ptimatum quorundam suasionibus ite-  
 rum eo adductus est Constantinus, ut  
 eam Imperatricem appellaret, & in fron-  
 te Actorum Constantini & Irenis nomi-  
 na sicut in principio Regni sui poni pa-  
 teretur. p. 349.

Constantinum, Principem levem &  
 inconstantem, astrologorum fabulis fidem  
 habentem, aliquis de eorum censu, no-  
 mine Pancratius, impulit, ut cum Bulgar-  
 ris temere dimicaret; a quibus cladem p. 395.

accepit, multis viris militaribus primi  
 ordinis & ipso Pancratius in prælio cæsis.  
 Constantino Imperante mense Decembri  
 anno 790. exortum Constantinopoli in-  
 cendium Palatii Patriarchalis partem &  
 præter alia illum locum, in quo autogra-  
 phum Commentarii S. Joannis Chryso-  
 stomi in S. Scripturam asservabatur, con-  
 sumpsit. Cedr. to. 2.  
p. 472.

§. L.

*Felicis & Elipandi Hæresis.*

Interim in Hispania nova Hæresis rem  
 Christianam turbabat. Cum Elipan-  
 dus, Cixilæ in Sede Toletana Successor,  
 Felicem Episcopum Urgellensem olim Eginart. au-  
nal. 792.

Ll 4

Magi-